NONNULLA DE LUIS VENEREAE CURA DISSERTATIO INAUGURALIS...

Gaetano Corbetta

NONNULLA

DE

LUIS VENEREAE CURA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRÆSIDIS FACULTATIS MEDICÆ SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. FRANCISCO FLARER

Therapiae et Clinices Oculariae P. O.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Maii anno 1844.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

CAJETANUS CORBETTA

EX SERENIO.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII

OPTIMO PATRI

FILIUS AMANTISSIMUS

NONNULLA

DE LUIS VENEREAE CURA.

Inter tot aegritudines quae humanum genus divexant, procul dubio summam medentis attentionem sibi vindicat Lues Venerea, tum quia non tantum per coitum impurum aliis hominibus communicatur, verum quoque per lintea, oscula, pocula et sic porro; tum quia morbum constituit plerumque diuturnum, atque difficilis sanationis; de diversis ideo curandi methodis nunc breviter, sed aliquo cum ordine, in animo est dicere. Quoties autem therapiam alicujus morbi syphilitici suscipere volumus, determinari debet an simplex sit, an complicatus cum aliis aegritudinibus; en igitur prima investigatio pro cura suscipienda luis venereae. Ergo quum aliae adfectiones syphilidem comitantur, uti febres, inflammationes, cachexiae, vel nevroses, cura variare debet, et eo magis si morbus qui complicationem facit, periculis majoribus stipatur, quo in casu antea suscipitur cura adfectionis concomitantis, et postea luis venereae.

Ita si scorbutus decurrit una simul cum syphilide; uti haud raro observare fas est in navibus, in castribus, in carceribus, atque incrementum majorem per syphilidem capit, tunc antea curam scorbuti suscipere debemus, quia cura mercurialis, quae contra syphilidem usurpatur, omnino scorbuto opposita est. Porro si adsunt aliae aegritudines, quae amoventur per eamdem therapiam, quae debellare valet syphilidem, tunc complicationes non adeo infaustas sistunt.

Nunc habentur nonnulli, qui omnes syphilides absque hydrargyro curare dictitant; sed per experientiam trium seculorum evictum est, mercurium remedium efficacissimum, et specificum contra syphilidem esse, eadem ratione qua cortex peruvianus specificum antitypicum sistit: interdum vero syphilis solo mercurio sanari haud potest, vel inutile, et aliquando damnosum evadit; ast hisce rarissimis casibus exceptis mercurium remedium efficacissimum contra syphilidem suppeditat.

Quousque morbi syphilitici tantum topici adsunt, frequenter morbus sanari potest absque hydrargyro, atque citius, et jucundius sanatur: sed quam prius symptomata syphilidis per universum organismum extenduntur, absque hydrargyro sanari adhuc possunt, interdum sola diaeta tenui, sed minus certa est, et diuturna cura, atque molestior aegrotanti quam cura mercurialis.

Alias autem constitutio aegrotantis impedit curam mercurialem, nam a minima quoque hydrargyri

dosi, enteralgiae, gastralgiae, colicae excitantur; inflammatio cutis, erithema mercurialis, etiam oritur. Tales constitutiones individuales a priori agnosci nequeunt, sed tantum per observationes, quae nos docent morbum syphiliticum per mercurialia eradicari non posse, quia aeger ea ferre haud valet.

Quando curam syphilidis ope hydrargyri suscipimus, aegrum praeparare debemus; raro sine ulla praeparatione curam inchoamus. Olim mos erat ante curam mercurialem suscipere, venam secare, quod nunc minime fit nisi diathesis hypersthenica adsit, atque inflammationes a syphilide inductae fuerint; et tunc sanguinis evacuatio topica, aut universalis necessaria evadit.

Diaeta tenuis, vegetabilis haud parum collimat in cura syphilidis; sed aegris debillibus concedi possunt carnes tenerae, nunquam vero cibi pingues, duri, saliti, aromatici, atque potus spirituosi, et vinum tantum permitti potest aegris summe debilibus.

In cachecticis enervatis, praeter diaetam nutrientem, vinum et roborantia etiam permitti debent ante curam mercurialem.

In suscipienda cura mercuriali, attendendum est, ne saburrae in intestinis collectae sint, quae effectum hydrargyri impediunt, atque nisi diarrhoea adsit, purgans suppeditetur, senna, sales mitiores, rheum; pro diversa aegri constitutione. Balnea porro valde proficiunt, sed in hoc vitetur omne refrigerium, ne praepediatur cutis transpiratio.

Balnea pro diversa aegri constitutione, non so-

lum ad mundandum cutim, sed etiam ad promovendam perspirationem, quae valde favet curae luis venereae; nec non ad mercurii absorptionem sollicitandam. Motus moderatus quoque juvat, neque necessarium est ut lecto decumbet, uti nonnulli medici credunt, sed aeger ad suos labores incumbere potest: si individuum debile et cachecticum est, tunc methodus quoque roborans opportuna evadit quae diversis auxiliis therapeuticis peragitur.

Duplex habetur methodus adplicandi hydrargyrum corpori humano, per fumigationes, vel innunctiones: fumigationes institui possunt vel cum ferro candente, quod inspergitur pulvere cinabri, vel mercurii dulcis, et aegrotus fumo exponitur; sed haec methodus magna cum circumspectione adhibenda est, quia suffocatio induci potest per illos vapores. Quare ad hunc scopum magis convenit macchina a *Gallè* proposita, qua vapores diriguntur ad partes adfectas, uti ad partes exulceratas, ad exostoses, impetigines, talique modo feliciter sanantur, sine ullo aegrotantis periculo.

Alia methodus est illa, cum qua innungitur quotidie interna superficies oris, et gengivae cum *grano uno*, vel *semis* calomelani, dum ulcera adsunt in cavo oris; sed haec methodus facillime ptyalismum producit.

Pro usu externo nonnulli proponunt mercurium sublimatum corrosivum sub forma clysmatis; sed haec methodus valde dubia et periculosa est, neque adhibetur nisi adsint in intestino recto ulcera syphilitica, et nonnisi maxima cum praecautione.

Balnea mercurialia valde proficiunt, atque potissimum ex sublimato corrosivo conflata, ac pro balneo ex. gr. adhibetur salis ammoniaci, et sublimati corrosivi āā *unciam semis*, et aeger manet in balneo a dimidia ad horam integram. Sed periculosa haec methodus est tum quia etiam per alias methodos syphilis feliciter sanatur; tum quia statuere nequimus quantitatem sublimati corrosivi, quae pro singulo balneo absorberi potest, absorptio enim cutanea valdopere variat pro diversa individui constitutione et cute, propterea similia balnea amplius in medicina non adhibentur: quare melius est interne sublimatum corrosivum suppeditare; quia tunc statuitur dosis; attamen limitibus coercere possumus, usum sublimati corrosivi externum, in illis casibus, ubi eminent formae morbosae cutaneae, topica adplicatio deuto chlorureti hydrargyri valde proficit.

Alia methodus externe adplicandi sublimatum corrosivum, est forma unguenti, quod venit sub nomine unguenti *Cirilli*, et componitur ex sublimati corrosivi, salis ammoniaci *ana drachma* et axungiae suillae *uncia*; atque inunctiones instituuntur ad plantas pedum ex *drachma dimidia* hujusce unguenti, adscendendo paullatim. Efficacia hujusce methodi satis confirmata est; sed pariter minus tuta est, nam pro diversa cutis crassitie diversa quantitas remedii absorbetur.

Frequenter utitur unguentum cinereum, sive Neapolitanum; sed antea aeger parari debet, uti jam

antea diximus, innunctiones cum hocce unguento instituuntur, ab exordio ex *drachma dimidia* unguenti, dosis dein adaugetur ad *scrupulos duos*, *drachmam unam*, et in maribus etiam ad *duas*, in foeminis vero ad dosim quidquam minorem; si innunctio vel frictio a parabulano peragitur, vesica manus tectas habere debet; sed melius ab aegrotante ipso peraguntur; istae vero ordine consueto instituuntur.

Aeger autem in temperatura uniformi, et moderate calida manere debet, diaetam tenuem serbare, atque sumere decocta bardanae, salsaparillae, etc. atque cura continuatur usque dum symptomata luis venereae evanita sunt.

Si ptyalismus adparet, neque phoenomena morbosa ex integro debellata sunt, suspenditur cura, atque dein post temporis spatium nunc minus, nunc majus, cura iterum suscipitur, ac continuatur per duas aut tres hebdomadas, donec morbus profligatus sit.

Ad curam integram perficiendam requiruntur *unciae duae*, aut *quatuor* unguenti cinerei, pro lue recenti; si vero inveterata est, tunc requiruntur *unciae octo*, aut *decem*, vel etiam *libbra una* aut *duae*.

Praeter methodum frictionum, syphilis aliis remediis mercurialibus interne adhibitis tractatur; ita mercurius gummosus *Plenckii* datur infantibus, pueris, foeminis gestantibus, in pulvere a *grano uno*, usque ad *quatuor* et *sex*; haec dosis repetenda quater, vel sexies in die.

In Anglia frequenter adhibetur oxydulum hydrargyri cinereum a *Blak* propositum; in Italia mercurius niger *Moscati*, vel oxydum cinereum *Moretti*; in Germania oxydulum hydrargyri nigrum, vel mercurius solubilis *Hanhemanni*; quaeque praeparata in morbo syphilitico mitiori, in pulvere, vel in pillulis a *grano uno*, ad *duo* suppeditantur; haec dosis vero quater vel sexties in die repetatur; remedia haec vero tantum respondent in casibus mitioribus.

Clarissimus *Terras* chirurgus Genevensis, atque *Sedillot* medicus Parisiensis unguentum Neapoletanum interne commendant contra syphilidem, potissimum scrofula nuptam. In clinica Ticinensi datum fuit hoc praeparatum forma pillulari cum sapone medicinali, uti a *Sedillot* proponitur, atque cum optimo successu; ast in aliquibus constituit remedium nimis ingratum, ideo non in omnibus casibus convenire potest; dum in aliis cum optimo successu, et sine ullis molestiis suppeditatur. Si lues conjuncta est cum scrofula, tunc indicatio optima habetur in usu hujus praeparati, ad mentem dictorum auctorum; melius vero confert mercurius gummosus *Plenkii*.

Saepe etiam indicatur oxydulum mercurii, sulfure conjunctum, uti invenitur, in Aethiope Minerali, et in Aethiope antimoniali; praesertim in syphilide cum scabie, aut aliis impetiginibus complicata, et praescribuntur a *grano semis* ad *unum*, *duo*, *tria*, *quatuor*, pro diversa aetate individui, ter, quaterve in die repetenda.

Utitur quoque deutoxidum hydrargyri, seu mercurius praecipitatus ruber; quod ut causticum contra ulcera, et condilomata juvat; interne tantum in casibus luis aliis mercurialibus rebellis a *duodecima, octava, sexta, quarta*, ad summum *dimidia grani* parte exhibetur, debita ratione involutum intra nycthemerum.

Nonnulli suppeditant etiam sales mercurii, uti acetas hydrargyri, phosphas, prussias, nitras, a quo obtinetur liquor *Bellostii.* Alii praescribunt quoque sulfatem mercurii, seu turpetum minerale.

Calomel, seu aquila alba, praeparatum hydrargyri est in toto orbe maxime celebratum, et in syphilide curanda, potissimum in debilibus, in foeminis gravidis adhibetur, et non solum luem incipientem, sed etiam inveteratam sanare valet, dummodo congrue et diutius ejusdem usus continuetur; in infantibus et pueris ad *octavam, sextam, quartam grani* partem; in foeminis ad *granum semis*; in hominibus adultis ad *granum unum* adhibetur; sed doses non augendae sunt, nam tunc diarrhoea et ptyalismus provocatur, et cura suspendi debet, antea quam morbus eradicatus sit.

Ut primum vero prodroma ptyalismi comparent, illico usus remedii intermittitur, atque purgantia, nec non collutoria suppeditanda sunt. Sed plerumque remedium ineficax sistit, et tantum in casibus mitioribus juvat; sed lues perfecte evoluta, et inveterata, vix, et ne vix quidem sanatur; miser aeger praeter luem experitur etiam noxios hydrar-

gyri effectus, qui complicationem constituunt; quare nunc fere omnes convincti sunt, et quum certi sumus de praesentia syphilidis, calomel non adhibetur.

Deuto chloruretum hydrargyri, seu mercurius sublimatus corrosivus magna virtute pollet in debellanda syphilide, quam primus agnovit *Van-Swieten*, qui commendavit sublimatum corrosivum ad *grana sex* in *libbra una* spiritus vini, cujus mane et vespere cochlear exhibere jubet. Alii medici postea ex eo quod in subjectis tenellis, in foeminis, in illis magna ad phthisim dispositione praeditis, etc. morbos alios per hoc exasperari viderunt; et pariter observarunt ab illo provocari abortum, tusses pertinaces cruentas, ipsamque phthisim, eum relinquerunt; donec virtus ejus magis probata fuit ab *Hoffmann*, *Cullerier*, *Lagneau*, *etc.*

Habentur etiam pillulae a *Dzondi* propositae, quae conflantur ex duodecim granis sublimati corrosivi, quae dividuntur in dugentum quadraginta pillulis; sed methodus incerta et periculosa est; quare hisce temporibus oblivioni tradita. Methodus tutior suppeditandi sublimatum corrosivum et illa solutionis, atque tunc in unciis octo aquae destillatae, solvitur granum unum sublimati corrosivi; aeger postea sumit cochlear unum mane et vespere; quaeque dosis autem pedetentim adaugetur.

Dum hydrargyrum sive interne, sive externe adplicatur dosi magna, aut ejusdem usus diutius continuatur, semper ptyalismum excitat, paucis aegris

exceptis. Salivatio moderata efficaciam pharmaci indicat, nullasque turbas excitat; sed quum excessiva est, aut incongrue adparet, tunc valde noxia evadit; quare in cura mercuriali attentio ad ptyalismum habenda est. Interdum comparet cum symptomatibus febrilibus, cum urinae imminutione, calore in toto corpore adaucto, sensu aliquo tentionis, pruritus, ardoris in lingua, quae partes eodem tempore intumescunt. Adest sapor oris sui generis, metallicus, dentium prolungatio, sputatio insolita, frequens salivae, dein profluvium copiosum excipit; atque in homine robusto intra nycthemerum secernuntur una, duo, aut tres libbrae salivae, quo in casu salivatio adhuc moderata est; si vero secernuntur quatuor, sex, octo, vel decem libbrae, tunc excedens evadit, et facile noxios effectus producit.

Qualitas etiam salivae mutatur, acris fit, quapropter partes in cavo oris contentae inflammantur, atque exulcerantur; lingua et gengivae monstruosae intumescunt, dentes vacillant, et sub continuato usu mercurii cadunt; alia porro symptomata adparent, uti tremores extremitatum superiorum, et inferiorum, habitus cachecticus, qui breviter evolvitur; maculae cupreae in superficie corporis adparent, obsitae vesiculis minoribus, a quibus humor secernitur, qui in squamis, aut crustis siccatur; haec impetigo dicitur eczema, vel erithema mercurialis, quia ob formam, ad eczema, vel erithema demandari potest; ulcera in cute etiam comparent,

ossa emolliuntur, dolores vivissimi oriuntur, sanguis indolem scorbuticam assumit, et in nonnullis casibus non facilis est distinctio morbi mercurialis a syphilide superstite; nam maximam analogiam hi morbi habent inter se.

In hoc rerum statu scrupolose omne refrigerium vitandum est, occasio saburrae quae huic morbo favet fugienda, diaeta tenuis serbanda est; ab alimentis pinguibus, acribus, acidis abstineri oportet. Interdum ob inflammationem glandularum salivalium febris evolvitur, atque methodus antiphlogistica tunc est adhibenda, non praetermissis sanguinis evacuationibus generalibus et localibus; externe prosunt cataplasmata emollientia, nec non colutoria ex decocto malvae, hordei, cum melle rosaceo. Purgantia et diaphoretica blanda indicata sunt, atque si tempestas favet balnea tepidula.

Irritatio morbosa a causa specifica producta, remediis specificis tollitur; ab *Hanhemann* commendatur sulfas potassae in solutione; sed remedium nimis ingratum sistit; simili actione gaudet salsaparilla, in hypochondriacis vero hystericis juvat infusum chamomillae, valerianae, castoreum, pulveres Doweri, opiata. Hisce vero temporibus contra hydrargyrosim perutile expertum fuit Jodium, et potissimum hydrojodas potassae; sive exhibeatur forma pulveris, sive solutionis, ab oxordio ad *granum* pro dosi, dein pedetentim adscendendo ad generosiores doses; porro ab experimentis nuperrime institutis tum in Gallia, tum Italia, constat pharmacon potentissimum esse, etiam in syphilidem.

Usurpantur quoque colutoria adstringentia ex decocto hordei, cum allumine crudo, borate sodae, acido sulfurico, nitrico, etc. si autem mercurii effectus persistunt, tunc necessaria sunt roborantia; et reapse magna cum utilitate adhibentur. Saepe ptyalismum a mercurio excitatum diu continuat aegrum enervat, et neglectum eum quoque enecat; ita a medicis alia proponuntur remedia, quibus syphilis devinci potest. Ita nonnulli commendant acidum chloricum, alii nitricum, aliqui alcalina inter quae ammonium praesertim, alii demum opiata; tamen medicorum recentiorum observationes comprobant, vix aliquam inesse istis medicaminibus virtutem peculiarem contra syphilidem.

Proponuntur etiam alia metalla, ferrum, antimonium, cuprum, aurum, arsenicum, et diversa eorum praeparata; murias auri et jodii valde commendantur, potissimum a Doctore *Chrestien*; *Cullerier* autem pluribus syphiliticis hoc praeparatum exhibuit, neque bonos unquam habuit effectus. Efficaciam longe majorem, testantibus nonnullis auctoribus praestat arsenicum, sed raro medici eo utuntur; arsenicum enim in curanda syphilide remedium periculo plenum esse, practicis innotuit, atque affectus producit qui minime comparari possunt cum illis mercurialium.

Alia remedia habentur a regno vegetabili, quae contra syphilidem proponuntur; reperiuntur vegetabilia indigena, sed raro votis respondent, et majori efficacia praedita sunt decocta parata et vege-

tabilibus exoticis, sassafras, guajacum, salsaparilla, atque testante *Monteggia*, *Cestoni*, *Lagneau*, dummodo congrua dosi exhibeantur, potissimum salsaparilla, per se valent ad syphilides etiam inveteratas debellandas.

Decoctum *Sangiorgi* maximo cum fructu usurpatur, non solum in morbis venereis, verum quoque in aliis morbis cutaneis.

Praeter haec omnia habentur alia remedia composita plus minusve laudata, quae vero brevitatis amore praetermitto, ne nimis in longum hoc ducum opus.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Nonnullos morbos sanare damnosum.

II.

Venenis mineralibus vomitu ejiciendis ipecacuanham tartaro stibii praestare.

III.

Non omnes morbi, qui cum stupore incedunt, typho demandari debent.

IV.

Nullum contra hydropem mercurio efficacius pharmacon.

V.

Inunctiones mercuriales in pleuro-pneumonitide damnandas.

VI.

In cura favi jodii praeparata damnosa.